

est speculatiua : & si daretur potentia producendi rosam , tunc esset practica. Ad probationem negatur consequentia.

¶ Dico secundò, q̄ practicum & speculatiuum non conueniant in eodem, sicut extrema admixta : sed eo modo, quo idem absolutè respectu vnus habet habitudinè factiui, & respectu alterius non: sed mensurati ad mensurà. & sicut possibile est aliquod animal esse album simpliciter, & nigrum secundum quid: quia album & nigrum diuidit animal accidentaliter ita in proposito.

¶ Dico tertio, q̄ dato, q̄ diuiderent essentialiter scientia naturaliter inuentam, non tamen scientiam reuelatam à Deo: & loquor de practico & speculatiuo, vt sumitur ex parte obiecti: vt autem sumuntur ex fine principali nulla est simul practica & speculatiua.

Ex quo patet, q̄ theologia est tantum speculatiua ex principali fine: quia etià operationes hominum de quibus agit ordinat ad visionè Dei, cum quo stat, q̄ est secundum quid practica cum rebus consideratis.

Secundò, theologia non dicitur practica ex ordine ad speculationem viæ, nec patriæ: ergo nullo modo est speculatiua. consequentia patet. prima pars antecedentis probatur. Theologia ordinatur ad charitatè: ergo non ad contemplationem viæ. secunda pars probatur. Omnis scientia etià practica ordinatur ad contemplationem patriæ: ergo theologia non debet dici per hoc speculatiua.

Respondeo, negatur antecedens, quia proximus finis theologiæ est contemplatio patriæ. 2. 2. q. 180. ar. 4.

¶ Ad probationem primæ partis negatur consequentia, quia vt dicitur arti. 1. & 2. theologia ordinatur ad charitatè, sicut ad id, quod nos mouet ad speculandum, nam ex dilectione homo inuadescit ad contemplationem : ordinatur ad virtutes morales tanquam ad id, quod disponit ad speculandum : ordinatur ad speculationem tanquam ad actum quem immediatè elicit.

¶ Ad probationem secundæ partis negatur consequentia : quia ista scientia est impressio & sigillatio diuinæ : & eius finis essentialis est quædam inchoatio futuræ beatitudinis: quod non conuenit aliis scientiis.

QVAESTIO III.

Varitur tertio. An theologia sit vna scientia.

PRO DECISIONE Questionis notandum, q̄ habitus scientiæ accipitur dupliciter. Vno modo, vt dicit qualitatem quandam generatam ex frequentia actuum, quæ qualitas dicitur habitus: quia habitat intellectus ad promptè operandum, & intelligendum conclusionem generatam per tales actus. Alio modo habitus dicitur species intelligibiles ordinatas ad intelligendū conclusiones illatas ex principiis.

HIS dictis, sit hæc prima conclusio. Habitus scientiæ, vt dicitur habitatem, est qualitas simplex. Hanc ponit S. D. prima secundæ. q. 5. artic. 4. & arguit sic. Intellectus est vna simplex potentia: ergo & habitus scientiæ est simplex qualitas. antecedens patet: consequentia probatur. Omnis perfectio proportionatur suo perfectibili. sed habitus scientiæ est perfectio intellectus: ergo &c.

CONCLUSIO II. Habitus scientiæ, vt dicitur species ordinatas, non est qualitas simplex. probatur sic. Habitus scientiæ constituitur ex lumine intelligibili, & similitudine rei cognitæ: ergo non est simplex. consequentia nota. antecedens ponitur. 3. di. 1. 4. q. 1. arti. 1. q. 2. & 3.

¶ Secundò arguit sic. Habitus est collectio specierum: ergo non est simplex: consequentia patet. antecedens ponitur, de veteri. q. 2. o. ar. 2.

¶ Tertio arguit sic. Habitus augetur per aduentum nouarum specierum: ergo non est simplex: consequentia patet. antecedens ponit 3. q. 1. 2. artic. 2. & prima secundæ. q. 5. 2. art. 2.

Contra primam arguit Aureolus tribus mediis: quæ tantum cõcludunt habitum secundo modo dictum, non esse simplicem qualitatem : possunt tamen reduci cõtra primam in hunc modum probando, q̄ illa qualitas, quæ habitat intellectum respectu vnus conclusionis nostræ scientiæ non sit eadem cum illa, quæ habitat intellectum, respectu alterius conclusionis in eadem scientia. & ex consequenti habitus ad totam vnã scientiã non erit vna simplex qualitas, sed cõstituta ex pluribus primo. Habens habitum potest in omnia, ad quæ per ipsum habitat. sed

Theologia nostra speculatiua est ex fine principali.

Finis theologiæ.

Exacte in annotatione digno. q. ab soluitur.

Habitus scientiæ dupliciter accipitur pro habitate aut pro specie intelligibilis ordinatæ.